



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 26. Jubilæe solemnia Romæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

nimi robore profecutus est, & modico Sæcul. XV.
 temporis spatio novem commisit prælla, A. C. 1450.
 in quorum octo victor, in uno tantum vi-
 ctus succubuit. Interfuit anno Domini
 millesimo quadringentesimo septuagesimo
 primo Ratisbonensibus Comitibus, bellum
 adversus Turcas decreturus. Tandem
 extremum diem clausit Anno millesi-
 mo quadringentesimo octogesimo sexto
 die undecima Martii, annos natus septua-
 ginta duos.

§. XXVI.

Jubilæi solemnia Romæ.

Hoc anno Calendis Januarii celebrari An. 1450.
 cæpit Annus sæcularis, quem Ponti- Matth.
 fex Romæ edita Bulla anno superiori de Coucy Hist.
 more promulgari jusserat. Jam præce Car. VII.
 dente vigilla Natalis Domini Anno Sa- pag. 609.
 lutis millesimo quadringentesimo qua-
 dragesimo nono sacram portam aperuit,
 concessitque plenam poenarum condona-
 tionem omnibus illis, qui urbis Ecclesias
 Sanctorum Petri & Pauli, S. Joannis La-
 teranensis, & S. Mariæ Majoris in illis
 visitarent diebus, qui olim a Clemente VI.
 designati erant in Bulla, vi cujus Jubi-
 læum ad annum quinquagesimum redu-
 cebatur. Eandem Constitutionem Ni-
 colaus quoque diplomate ea de re con-
 dito ratam habuit. Confluxit Romam

R 3

ad

Sæcul. XV.
A. C. 1450. ad hanc solemnitatem tanta hominum multitudo, quanta nunquam antea visa fuit. Porro summus Pontifex omnem impendit curam, ut itinerum securitati, & peregrinorum saluti ab omni latronum periculo prospiceretur, omniaque ad victum necessaria in urbe justo venderentur pretio, cum vero ex omnibus Europæ partibus immensa propemodum populorum frequentia Romæ adesset, non pauci in Ecclesiis, aliisque locis compressi, conculcatique obierunt, quin imo cum peregrinorum multitudo viso sacro Christi Domini sudario ab Ecclesia S. Petri in Vaticano recedens, obviam haberet innumeram aliam turbam, quæ ad eandem visitatum properabat Ecclesiam, occasione cujusdam mulæ facta hominum compressione, nonaginta septem homines a ponte S. Angeli in Tyberim prolapsi, & submersi perierunt. Affectus ob id magno dolore Pontifex, horum peregrinorum corpora colligi, ac in proxima Ecclesia terræ mandari, solemnesque exequias celebrari jussit, dato insuper mandato, ut quædam domunculæ, quæ pontis viam angustiorem reddebant, destruerentur.